Miletum quidem tam ornarunt ampliſſimæ opes, quàm uir doctiſſimus Thales, qui non ſolum in ea urbe, ſed in tota Ionia primus excitauit ſtudia doctrinæ de rebus cœleſtibus, oſtendit ſiderum motus, & certam anni rationem deſcripſit. Nec Alexandria nobilior eſt conditore Alexandro, quàm perpetua philoſophiæ conſeruatiõe & propagatione. Itaq; hæc doctrinæ ſtudia iure commemoramus inter præcipua urbis Noribergæ ornamenta. Hæc enim urbs fouit ingenium Ioannis de Regiomonte, habuit & ciues ſummis ingenijs prædictos, qui has diſciplinas tũ coluerũt, tum etiã illuſtrarunt. D. Ioannem Vernerũ. D. Præpoſitũ Melchiorẽ Pfintzing. D. Bilibaldum Pyrcamerũ. D. Cholerum. Nec ulla tam celebris eſt Academia, in qua hodie maior ſit frequentia eruditorum in hoc genere q̃ Noribergæ. Nec tantum fruitur ipſa urbs uoluptate huius doctrinæ, ſed, quod eſt honeſtiſſimum, præclare meretur de omni poſteritate. Multa enim utilia monumenta ediderũt homines doctiſſimi, Ioannes de Regio monte, qui huius urbis hoſpitio & multis beneficijs uſus eſt, & alij ciues, quorum extant ſcripta. Hæc beneficia philoſophiæ ſtudioſos agnoſcere decet, & huic urbi gratiam habere ex animo, camq; in primis amare, tanquam huius præſtantiſſimæ doctrinæ hoſpitium. Etſi autem poſſeſſionem huius laudis multi in urbe ueſtra retinent, tamen hoc nomine tibi doctiſſime Schonere plurimũ